

dedecore, moraliter tractabile est, & ideo merito hic casus sub Clement. cit. intelligitur comprehensus. Adde, quod ibi non est culpa, nec est voluntas, moraliter loquendo, quia est moralis necessitas, quid enim magis necessarium moraliter, quam vitare grauem infamiam, vel amissionem honoris. Videatur Bonac. Jo. cit. qui multos casus particulares tractat, quos non est meum referre; & Aloyf. Ricc. 4. p. collect. 930.

116 In hac irregularitate contracta per homicidium causa defensionis, non seruato moderamine inculpatae tutelae, si occulta est potest. Episcopus dispensare, per cap. 6. Concil. Trident. sess. 24. de reformat. Quia Concil. referuat sibi solum homicidium voluntarium, non autem homicidium volitum causa defensionis, etiam si sit excessum in modo. Nauar. in manual. cap. 27. num. 239. versu Secundo nota; Sayr. lib. 7. de censur. cap. 7. nu. 22. Val. loco cit. Mol. tom. 4. tract. 3. disput. 79. num. 8. Henr. lib. 14. cap. 10. nu. 2. Bonac. disp. 7. de censur. q. 4. p. vlt. n. 9. & per consequens possunt etiam Praelati regulares. Si autem sit notorie publicum, solum Papa dispensat. Ita praelati Doctores, in specie Mol. & Bonac. Patet ex illis verbis Concil. Trid. cap. 7. sess. 14. de reformat. *Ordinatio loci committatur, qui non nisi causa cognita.* &c.

117 Circa mutilationem membrorum, si delictum sit occultum, possunt Episcopi in irregularitate sic contracta dispensare per cap. 6. sess. 24. Concil. Trid. de reformat. eo enim ipso quod excipitur homicidium voluntarium, membri mutilatio conceditur, & per consequens id poterunt Praelati regulares, non obstante prohibitione, quae hic fit; de quibus diximus supra in consil. Pyrrhi num. 46. quod habent eandem auctoritatem in suis subditos, quam Episcopi: Et dicit Llamas 1. part. meth. cap. 12. §. 25. quod Gregorius XIII. concessit Abbatibus Ordinis S. Bernardi, & Societati Iesu ac Ordini Minoru quod ad fontem conscientiae eandem auctoritatem, quam concesserat Conc. Episcopus sess. 24. c. 6. cit. Quod in terminis nostri casus dicit Miran. to. 2. man. q. 8. art. 11. & Rodriq. 1. quaest. reg. q. 24. art. 10. Nominatim autem mutilationis intelligitur omnimoda truncatio membri, non sola debilitatio, quia membrum inutile redditur. Vnde qui claudum aliquem reddit, vel caecum, non erudendo oculum, non incurrit hanc irregularitatem. Glossa in cap. Is qui de homic. in 6. Mol. tom. 4. de iustit. 3. disput. 68. Sayr. lib. 6. de censur. cap. 15. num. 6. Panorm. in cap. De Diacono, qui Clerici, vel vou. nu. 9. licet contrarium dicat (nimirum solum redditionem membri inutilis irregularitatem causare) ea. Cum illorum, de sentent. excommunic. num. 8. sine, vbi etiam ait, quod membrum proprie dicitur pars corporis habens officium separatum, & distinctum ab alijs partibus, vt manus, pes, oculus; declarat etiam ibi, quae sit enormis laesio. Sed dic cum Glossa d. c. Cum illum, verbo Membra, quod id relinquatur iudicis arbitrio.

118 Ex quo etiam deduco, quod possunt Praelati regulares dispensare cum sibi subditis in irregularitate cum habente membrum abscissum, etiam manifestum, & sua culpa, vt si careat oculo dextro, vel digito, qui tamen non sit pollex, quia cum praedictis dispensat Episcopus. Ita Cruz lib. 1. de statu Relig. cap. 6. dub. 17. concl. 2.

119 Deduco etiam, quod Praelatus regularis potest absolueret suum subditum, qui percuterit, non solum alium Regularem sui Ordinis, sed etiam si fuerit alterius Ordinis, immo etiam si fuerit Clericus secularis, non obstante cap. Cum illorum, de sent. excom. & ca. Religioso, cod. tit. in 6. Ita A Sorbo in comp. priu. ver. Absolutio ordinaria quod ad fitat. pag. 19. Rodriq. to. 1. quaest. reg. quaest. 20. art. 12. Minora enim intelliguntur concessa, vbi sunt concessa maiora, cap. Ex parte, de decimis, cl. 3.

120 Quod ad bigamiam sciendum, quod tripliciter incurritur irregularitas bigamiae. 1. quando duas habuit, & cognouit uxores. 2. quando duxit viduam, vel corruptam ab alio. 3. quando Clericus in factis consti-

tutus, vel Religiosus professus contrahit matrimonium, & cognoscit uxorem. Ita Llamas 1. p. method. cap. 12. §. 2. & 3. Rodriq. tom. 1. quaest. regul. q. 24. artic. 2. Nauar. in man. c. 27. num. 195. Viuald. in candel. aut. tit. De irregul. de bigam. num. 1. In bigamia 1. & 2. modo solum Papa dispensat quod ad ordines sacros, nam quod ad minores non solum susceptos, sed suscipiendos etiam Praelati regulares, vt dicit Rodriq. Llamas loco citat. & Sayr. lib. 6. de censur. cap. 6. num. 11. Contrarium docet Suar. tom. 5. in 3. p. disput. 49. sect. 6. num. 4. & Garcia p. 7. de benef. c. 6. num. 14. qui tamen num. 13. plures citat pro nostra sententia, & de istis bigamijs intelligitur exceptio facta in isto, & alijs similibus priuilegijs. De tertia bigamia, si Clericus, vel Religiosus virginem duxit, putant Rodriq. & Llamas, quod possint regulares Praelati cum isto dispensare, non solum vt in susceptis ministraret, sed etiam vt ad maiores ascendat, Nauar. loco cit. num. 197. sine. Zerola in praxi p. 2. verbo Bigamiam, versu 3. Panorm. in capite. Ex literarum, qui Clerici, vel vouen. num. 5. Et colligitur id. c. cap. 6. art. 1. eiusdem titul. Cruz lib. 1. de statu Relig. cap. 6. dub. 17. concl. 1.

## §. XXX.

121 **V**ide constitut. antecedentem huius Pontifici §. 33. Et nota 1. quod hoc est amplissimum priuilegium: & plura similia, & etiam maiora, etiam cum derogatione c. Nuper, de decimis. habes apud Rodriq. to. 2. q. regul. q. 44. art. 2. & apud Monialibus ibid. art. 5. & to. 3. q. 74. art. 16. & etiam apud Casarub. verbo Decima. Guttier. consil. 5.

122 Nota 2. quod decima est omnium bonorum mobilium licite quaestorum pars decima Deo dicata, diuina constitutione debita. Ita Hofstien. in sum. tit. De decimis, §. 1. Rodriq. art. 1.

123 Si quaeras, quo iure debeantur decimae.

1. Val. tom. 3. disput. 6. q. 5. par. 1. versu Nihilominus; quod reddere mercedem ecclesiasticis ministris est de iure naturae, atque adeo de iure diuino. Quotam verum decimarum, videlicet vt id fiat, conferendo eis decimas, in veteri quidem lege fuisse de iure diuino positum, in noua autem solum de iure humano ecclesiastico; tit. De decimis 16. q. 1. & est sententia D. Th. 2. 2. q. 87. art. 1.

124 Nota 3. quod primitia est oblatio facta Deo, & Ecclesiae in suis ministris ex primis, & quasi praecipuis fructibus terrae. Syl. verb. Decima. numero 1. Val. loc. cit. quaest. 4. p. 4. Colligitur ex D. Th. 2. 2. quaest. 86. art. 4. Hoc tempore primitiae offerri debent, non ex aliquo naturali, aut diuino praecipio (his enim satis fit sustentando quomodocumque ministros Ecclesiae, & offerendo qualescumque alias res externas in honorem Dei) sed ex decreto Ecclesiae, iuxta locorum receptam consuetudinem, & necessitatem ministrorum Ecclesiae. Ita D. Th. 2. 2. q. 86. art. 4. Val. loco citat. sect. 5. Syl. ver. Decimae, num. 3. vbi ait, posse tolli obligationem soluendi primitias per contrariam consuetudinem, eo modo; quo potest alieni tolli obligatio soluendi decimas.

125 Noto 4. quod oblatio est munus quoddam, non priuatae personae, sed Ecclesiae, ad Dei cultum, & ministrorum eius vsum, a Christi fidelibus de rebus licite acquisitis oblatum. Ita Syl. verb. Decima, numero 1. Differt autem oblatio a decimis: tum quia decima solum est omnium bonorum mobilium licite acquisitorum pars decima Deo data, oblatio vero non solum de decima parte rerum mobilium, sed etiam de alijs quibuscumque etiam immobilibus, fieri potest; tum etiam quia secundum Hofstien. in sum. tit. De decimis, §. 1. Oblatio offertur Deo immediate, hoc est ad cultum Dei, cum tamen decimae non offerantur immediate Deo, sed eius ministris, scilicet alendis, aut dispensaturis: Differt vero oblatio a primitijs, quod primitia solum est prima pars frugum, siue fructuum Domino offerenda, at vero oblatio non